

super hoc debitam sollicitudinem impendente et nuncios sepius mittente, dictus archiepiscopus nullam penitus de hoc curam habuit et tamen pretextu exspectionis responsi et consilii iudicum predictorum causam impedivit, quamvis in literis nostris receperit consilium abbatis de Amelungisborne et nostrum super non deferenda appellatione, cum tunc aliorum copia haberi non potuisset. Magister et Wilbrandus, arbiter archiepiscopi, responsum et consilium similiter abbatis de Amelungisborne et nostrum super appellatione predicta ei apud Stadium exhibitum non advertit, sed nec ammonitionem nostram super processu cause curavit; postremum et ad remotas partes, puta Herbipolim⁴³), se transtulit, nec est reversus nisi diu post elapsum tempus ad decisionem cause constitutum. Alleg[avit] quoque pars episcopi, supradicta hec omnia ad impediendum arbitrium studiose esse facta, et sic archiepiscopus culpa sua a causa cecidisset, cum nec magistrum Wilbrandum ad arbitrandum miserit nec alium loco sui curaverit subrogare, quare, cum hec manifesta essent, et cum malitiis hominum non esset indulgendum, cum instantia petiit eadem pars, ut, sicut tenebamur, contra archiepiscopum vellemus ferre sententiam. Nos igitur his, que proposita fuerant, auditis ex habundanti volebamus de causa plenius instrui et parte archiepiscopi prius requisita et diu exspectata, cum nullus compareret, secundum tenorem arbitrii, parte et episcopi hoc desiderante, attestaciones magistro Helmwico audiente conscriptas et illas, quas postmodum conscribi fecimus, fideliter, sicut moris est, signatas aperuimus et palam eas in iudicio exhibuimus, requirentes, si quisquam ex parte archiepiscopi vellet aliquid obicere in personas testium vel in dicta ipsorum; et licet nullus appareret, exspectavimus tamen tota illa die, multa sollicitudine et diligentia vidimus ea, que acta erant, et examinavimus dicta testium, quorum tenor talis erat:

(IX.) „Notum sit, quod partes protestate sunt hinc inde, quod excipere velint in personas testium et dicta eorum et ante et post publicationem attestacionum, et hoc sit eis salvum.“